Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

IV. De Antichristo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

eundem eſſe Principem & Eccleſiaſticum, & Politicum. 1. Quia, *Gen.* 14. Melchiſedech fuit Pontifex & Rex; Item, *Exod.* 18. Moyſes. Item omnis Primogenitus, teſte *S. Hieron. in qq. Hebr.* 2. Ratio. Pax & bellum magis pugnant quàm temporalia & ſpiritalia: at vnus Rex præeſſe poteſt togatis & armatis: Quidni & Epiſcopus? Machabæi erant & Pontifices & Duces. Itemque Heli.

RESPONDEO nunc AD I. Prohibetur tyrannicum dominium Chriſtianis omnibus, non ſolum Eccleſiaſticis. Moyſes verò permanſit Pontifex & Rex; quia depoſuit Aaronem, & ſuffecit Eleazarum. *Num.* 20. Idque multo exemplo, non raro. Ita *Auguſt. q.* 23. *in Lex.*

AD II III. IV. Monentur iſthic Pontif. & Principes ne minutis ac vilibus miſceantur, cum iactura maiorum ac meliorum: Cuius Moyſen Iethro monebat: *Exod.* 18. S. Bernardus autẽ loquitur de eo, quod Pont. vt Pontifex, habet ex Inſtitutione Chriſti. Vnde ait, *Eſto, vt alia quacunque ratione iſta tibi vendices; ſed non Apoſtolico iure. Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit.* Negotia porro ſæcularia ſunt parare victum, negotiari, &c.

IV. DE ANTICHRISTO.

QVÆSTIO XXII.

Antichriſtus qualis erit verus Homo?

LVTHERANVS Wolfgangus Muſculus *in Locis c. de poteſt Miniſt.* vult vocem ANTI ſignificare *Vice*, proinde *Antichriſtum* eſſe *Vicarium Chriſti*. Sic & Magdeburgenſes *Cent.* 1 *l.* 2. *q.* 4.

AVTOR. Ἀντὶ ſignificat ſimpliciter contrarium alteri in Sede & dignitate. 1. Patet ex etymo, quod oppoſitionem ſonat: *Vicarius* autem non, ſed ſubordinationem ſub alio. 2. Cum quæſtio hæc ſit Fidei, è S. Scriptura decidi oportet, ſicque capi vocem *Antichriſtus*, vti in Scriptura deſcribitur: ſcilicet, 2. Theſ. 2. dicitur is, *qui extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus.* 1. Ioann. 2. *Qui negat Ieſum eſſe Chriſtum.* Quique, Matt. 24. *dicat, ſe eſſe Chriſtum.* Quod non eſt *eſſe Vicarium*; ſed inimicum æmulum. Ita Henr. Stephanus, (licet ſit Genuenſis Caluiniſta;) in Theſauro græcæ linguæ.

II. VERVS ERIT HOMO. 1. Nam, 2. Theſſ. 2. dicitur *Ille Homo peccati.* Dan. 7. *Ecce oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.* 2. Dein verè morietur; at mors vitam præſupponit. Et Dominus *Ieſus interficiet eum ſpiritu oris ſui.* 2. Theſſ. 2. Vnde, Apoc. 19. *Beſtia & Pſeudopropheta eius viui miſſi ſunt in ſtagnum ignis*; vt Dathan. 3. Ad hæc, Qui generatur & naſcitur; (vt è familia Dan *Ille Homo peccati*) is verus homo eſt.

III. Non erit dæmon incarnatus; etſi dæmonis domicilium: teſte *Damaſc. l.* 4, *cap.* 27 *Beda, Hieron.* Quia creatum ſuppoſitum nequit alteri naturæ ſe hypoſtaticè adunire.

Dicere, Formandum virtute dæmonis abſque ſemine humano, è ſola muliere; erroneum eſt. Quia id nequit dæmon abſque cauſis ſecundis.

Dicere, Formandum ab ſuccubo & incubo, mediate humano ſemine rapto; incertum eſt; etſi non erroneum, nec impoſſibile. *Bellarmin. libr. 3. de Pontif. cap. 12.*

QVÆSTIO XXIII.

Antichriſtus an erit Vnus homo certus ac ſingularis?

LVTHERO-CALVINISTÆ: 1. Vt MAGDEBVRGENSES *Cent. 1. l. 2. c. 4. Docent Apoſtoli, Antichriſtum non fore vnam perſonam tantũ, ſed integrũ regnũ, per falſos doctores in Templo Dei præſidentes, in Vrbe magna, operâ diaboli.* 1. Nam, 2. Theſſ. 2. *Myſterium iam operatur iniquitatis.* Vbi BEZA: *Dent mihi quempiam, qui à Pauli ſæculo ad diem vſque iudicii ſuperſtes maneat.*

2. BEZA. *Dan. 7.* Nominibus beſtiarũ Vrſi, leonis, pardi, intelliguntur regna, quorum quodque multos Reges continet: Ergo & *2. Theſ. 2* per hominem peccati intelligitur quoddam Corpus tyrannorum, non vnus ſingularis. Vt 1. Ioan. 4. *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus; & nunc in mundo eſt.*

3. CALVINVS in 1. Ioan. 2. *Sponte errant ac delirant, qui Vnum credunt hominem fore Antichriſtum*: quia Apoſtaſia, de qua *2. Theſ. 2.* eſt generalis defectio, quæ vnum facit Corpus & regnum.

AVTOR. Vt vox CHRISTVS, iam pro IESV ſolo, iam pro quocunq; ipſius Chriſti ſimili accipitur; ita & vox *Antichriſtus* capitur Propriè pro Vno ſingulari certo Chriſti hoſte; Communiter, pro quocunque Chriſti aduerſario. 1. Ioann. 2. *Antichriſtus venit*; Communiter accepta voce: *Licet nondum venerit, de quo audiſtis*, vt indiuiduo: *Attamen Antichriſti nunc multi ſunt.* Sic 1. Ioann. 4. *Omnis ſpiritus. &c.* Vt igitur myſterium pietatis Chriſti cœpit operari ab initio mundi in Sanctis: ita Antichriſti in impiis.

Vnus tamen propriè dictus Antichriſtus erit.

I. Quia ſibi Vni Chriſtus opponit Vnum, Ioann. 5. *Ego in nomine Patris mei veni, & non recepiſtis me: Si alius venerit in Nomine ſuo, illum recipietis.* Caluinus hic & Muſculus id de falſis Prophetis vniuerſis accipi volunt. 1. At contra, Patrum conſenſum, Chryſ. Cyril. Am. Hier. Aug. 2. Dein; hic perſonæ perſonam opponit; non regno regnum. 3. Iudæi quoq; nunquam receperunt Papam pro ſuo Chriſto. 4. Iam ante Chriſtum plures Pſeudoprophetæ venerant, venturique erunt; Vnum tamen certum deſignat.

II. 2. Theſſ. 2. *Niſi reuelatus fuerit* ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Ecce *Ille homo, ille filius perditionis*, ſcilic. ſingularis. Sic & 1. Ioann. 2. ἠκούσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται: καὶ νῦν ἀντίχριστοι, &c. En ibi, non hic, articulum.

III. *Dan. 7. 11. 12.* agi de Antichriſto docent *S.* Patres; & dant Caluinus ac Magdeb. At 1. *Rex vnus* vocatur ibidem, non *regnum vnum*: 2. Et fatetur Caluinus intelligi Antiochum. At hic vnus erat; & vnum præſignabat Antichriſtum: teſte Cypr. Hieron. ibid. 3. Et *Apoc. 13. & 17.* is Danielis Rex dicitur decem Reges terræ ſubacturus, & ſolus ſemiquatuor annis regnaturus. Sic & Patres.

IV. Antichriſtus proponitur in *S.* Scriptura vt ſignum certum immediatè ex-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tè extremo Iudicio anteceſſurum.

Responsio hinc liquet ad obiecta Magdeburgenſium, Bezę, & Caluin.

QVÆSTIO XXIV.

Antichriſtus an iam aduenerit?

LVTHERVS in ſupputatione temporum ait, Antichriſtum aduenisse cum gladio Spiritali poſt annū 600. cum Phocas Papam vocauit Caput Eccleſiarum. Cum Temporali verò poſt annum 1000. Vltimumque Papam fuiſſe vult Gregorium VII. Sic & Bilander. At Magdeburg. *Cent. 6 c. 1.* clamant Gregorium præ omnibus adlaboraſſe ad Antichriſtum introducendum.

II. Samoſateni noui in Hungaria & Tranſyl. volunt, vero Chriſto abolito Romanum Antichriſtum protinus introductū fuiſſe, feciſſeque Deum trinum, & Chriſtum binum.

At, *2. Theſſ. 2.* Antichriſtus, cum venerit, ſeipſum faciet Deum, non alium. Et Chriſtus ait, Matt. 16. prædixit *Portæ inferi non præualebunt aduerſus* Petrā ſuam.

III. Illyricus ait Antichriſtum veniſſe ſub annum 412. cum Rom. Imperium cœpit inclinare.

At, Logi: IV. Similesque ſunt & Chytræi: Negantis tamen Flacco ſuo, duraturum eius regnum 1260. annis. Quia ſic conſtaret finis mundi.

V. Henr. Bullingerus ait Antichriſtum apparuiſſe anno 763. Quia *Apoc. 13.* nomen Beſtiæ; eſt numerus 666. quibus adde annos 97. Scriptam Apocalypſim antegreſſos à Chriſto nato, erunt anni 763

At, *Apoc. 3.* dicitur is numerus eſſe nominis, non temporis: vt S. Irenæus exponit.

VI. Wolfg. Muſculus vult ſub annum 1200. Quia S. Bernardus ſerm. 6. in Pſal. 90. poſt Eccleſiæ vitia & perſecutiones recenſitas ait; *ſupereſt, vt reueletur Homo peccati.*

At, nugæ hæ.

Orthodoxos varia varios fuiſſe opinatos. Vide *Bell. l. 3. de Pont. c. 3.*

Avtor. Necdum venit; nec tempus Aduentus ſciri poteſt. Patet è ſignis aduentum Chriſti ſecundum Antecedentibus, Comitantibus, & Sequētibus. I. Quia Euangelium nondum vbique prædicatum eſt; ceu prædictum *Matth. 24.* II. Nondum Imperii venit omnimoda deſolatio, prædicta *Daniel. 2. & 7.* Nec in decem id regnā diuiſum tenetur ab vno. III. Necdum venerunt Helias & Enoch. Apo. 11. *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus 1260.* Helias Iudæis, *Malach. 4.* Henoch Gentib. *Eccl. 44.* Qui XXX. diebus ante finem Antichriſti necabuntur. IV. Nondum iuge Sacrificium eſt ſæuiſſima illa tribulatione ſublatum; ceu prædictum, *Matth. 24.* & vt *Apoc. 9.* Tuba ſexta ſignificat. Tuba quinta forſan eſt Luthero caluiniſmus. V. *Daniel. 7. & 12. Apoc. 12.* Antichriſtus regnabit ſolum menſibus 42. hoc eſt dies 1290. Helias autem & Enoch diebus 1260. prædicabunt. VI. Antichriſti aduentus erit paulò ante conſummationem ſæculi, *Matth. 24. & 1. Ioan. 2.* Apoc. 12. *Beatus, qui expectat ad illos dies,* ſcilic. 40 poſt necem Antichriſti.

QVÆSTIO XXV.

Antichriſti Nomen, Character, Generatio, Sedes, Doctrina, &c. quæ, qualia?

ITA eſt Apoc. 13. *Faciet omnes. &c habere Characterem in manu, aut in frontibus ſuis. &c. aut nomen beſtiæ, aut Numerū nominis eius 666.*

I. Bullingerus vult deſignari tempus aduentus, mortiſue Antichriſti: Mahumeti autem alii.

At, Ioannes loquitur de numero nominis; & viuentis beſtiæ; non mortuæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tuæ. 2. Chytræus nugatur in numero nominis λατεῖν©: Se fallunt alii Catholici aliter.

Vera eſt ſententia fatentium ſe ignorare nomen Antichriſti. Vt *Irenæus l. 5.* Nec dici poſſe nomen; quia plura ſunt, quæ dictum numerum habent: inque multa incidunt incommoda, qui de nomine ſcrutantur. Sicut enim IESVS nomen Chriſti notum fuit, cum venit; at prius ignotum: ita & Antichriſti eſt, eritque. Vnde Marloratus Caluiniſta in Apoc. 13. *Loci huius tot ſunt expoſitiones, quot expoſitores: quo apparet obſcuriſſimum & ænigmaticum eſſe.*

II. LVTHERANI Characterem Antichriſti eſſe volunt ſignum obedientiæ ſub Papa: vt eſt Bullingero Vnctio chriſmatis: Bilandro Profeſſio fidei Romanæ: Chytræo iuramentum fidelitatis factum Papæ: aut Vnctio ſacerdotalis: aut Adoratio Sanctorum, Euchariſtiæ, Miſſæ funebres &c.

AVTOR. At, *Apoc. 13.* de Vnico dicitur Charactere numeri & nominis: 2. Communi omnibus: 3. In dextera, aut frontibus. 4. Nequis poſſit emere aut vendere, niſi habeat Characterem iſtum.

Quæ autem Sectarii eſſe characteres dicunt, ea ab origine Chriſtianiſmi dimanarunt vt ſanctiſſima.

III. LVTHERO-CALVINISTÆ. Papa eſt Antichriſtus.

AVTOR. At Antichriſti origo id refutat. Nam hic oriundus erit ex Iudæis Iudæus, circumciſus, & ſabbatizaturus ſaltem ad tempus. Ita *S.* Patres ex Ioann 5. *Ego veni in nomine Patris mei. &c.* Et Iudæi eum vt Iudæum recipient in Meſſiam. Talis autem Papa nunquam extitit, nec pro Meſſia habitus fuit. Quin, Caput Orbis cum ſit, eum appellant *Caudam orbis* per deſpectum, proque eo vt hoſte orant.

IV. LVTHERO-CALVIN. Roma ſedes eſt ſoliumque Antichriſti. 1. Quia *Apoc. 17.* eſt purpurata Meretrix, ſedens ſuper 7. colles. 2. Suſſurus eſt, 2. Theſſ. 2. *in Templo Dei* ibidem.

AVTOR. Ieroſolyma ſedes erit Antichriſti. 1. Quia, *Apoc. 11.* hic Elias & Enoch cum eo depugnabunt, occiſique *iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ dicitur Sodoma, vbi eſt Dominus eorum crucifixus.* At Ieroſolyma vocatur Sodoma, *Iſa. 1.* 2. Quia, *Apoc. 17.* Roma deſolabitur ab Antichriſto, paruulo cornu, extincturo decē regna. 3. Quia, 2. Theſſ. *Ita vt in Templo Dei ſedeat*, ſcilic. Salomonæo: quod ſolum in Scriptura Nomine appellatur. Ita S. Patres.

AD I. DICO. Beda, Rupertus &c. purpuratam meretricem eſſe dicunt omnem diaboli ciuitatem, quæ ſæpe Babylon vocatur. 2. Tertull. & Hieronymus intelligunt Romam idola colentē; Nam de iam Chriſtiana ſic ſcribit libro contra Iouin. *Scriptam in fronte blaſphemiam, Chriſti confeſſione deleſti.* Ideo eam odibit Antichriſtus.

AD II. In *Templo Dei ſedebit*, vel Salomonæo, vel in Eccleſia Dei; ſed vt Deus. At ibi nullus Papa ſedit; nec vnquam, vt Deus.

V. DOCTRINAM Antichriſti Lutherro-caluiniſtæ nobiſcum ponunt iſta quatuor: 1. Chriſtum negabit: 2. Se eſſe Chriſtum aſſeret. 3. Deum quoque ſe eſſe. 4. Deos abolebit omnes: Sed ſequius hæc exponunt.

I. Negabit Chriſtum, non verbis nec palam; ſed opere, & ſpecie Chriſtianiſmi corrumpet doctrinam de Sacramentis. &c. Ita Caluinus *Inſtit. l. 4. c. 7. §. 25. Nec Chriſti nec Eccleſiæ nomen abolebit; ſed potius Chriſti*

pra-

prætextu abutetur, & ſub Eccleſiæ titulo, velut larua, deliteſcet.

Magdeburg. Cent. 1. lib. 2 c. 4. *Ita, vt conſtet doctrinâ Chriſtum profitente; ſed tamen eius Meritum, & Officium abnegante. &c. Oſtendet, Chriſtum integre nos redemiſſe, & ſaluaſſe; ſed propter noſtra bona opera etiam aliquid ad ſalutem nos conferre.*

II. Se faciet Chriſtum, & Deum, nō verbo; ſed opere. Magdeburg. ibid. *Oſtendet ſe pro Deo, vt qui ſit Chriſti Vicarius, & Caput Eccleſiæ, & poſſe figere atque refigere articulos fidei.*

III. Deos & idola non reiiciet, ſed palam adorabit.

Avtor. I. Chriſtum negabit, eiusque Sacramenta proculcabit. 1. Quia Iudæus, Iudæorumque Meſſias Chriſtū minimè prædicabit. 2. Cùm non ſint duo Chriſti, verum neget neceſſe eſt, ſeque Chriſtum faciet. Vide 1. Ioa. 2. *Quis mendax, niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtum? Et hic eſt Antichriſtus*, ſcilic. ſimpliciter & excellenter; at hæretici ſunt Antichriſti ſecundum quid, vt eius prodromi. 3. Ita S. Patres. At Papa nec Chriſtum negat, nec eius doctrinam deprauat, nec Sacramenta proculcat. Ergo

II. Antichriſtus ſe eſſe Chriſtum aſſeret verbo & facto; non autem Chriſti miniſtrum. Ioann. 5. *Si* Alivs *venerit in nomine* Svo, *illum recipietis.* At Papa venit in nomine Chriſti, Seruus ſeruorum Chriſti: ergo non eſt Antichriſtus.

III. Se, ſeipſum faciet Deum: 2. Theſſ. 2. *Ita, vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Sic S. Patres.

IV. Nec verum nec falſum patietur Deum vllum, aut idola. 2. Theſſ. 2. *Quia extolletur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Ita & S. Patres. Daniel. 11. *Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit; quia aduerſum vniuerſa conſurget* idola. *Deum autem Maozim colet auro. &c.* ſcilic. diabolum; vti magus: aut ſeipſum excitatis ſibi aris & templis. At procul hæc à Papis, vt & Antichriſtianiſmus ipſe.

V. Antichriſtus obſcurè natus arte regnum Iudæorum inuadet. *Daniel. 11.* 2. Reges tres Ægypti, Libiæ, Æthiopiæ armis expugnabit. *Daniel. 7. & 11.* 3. Alios VII. Reges ſubiget, euadetque in Monarchā orbis. Ita Patres. 4. Prœliis orbem miſcebit vniuerſum, vt Gog cum ſuo Magog, *Apoc. 20.* At procul à Papis talia: ergo.

SVMMA BREVIS.

Lvthero-Calvinistæ quatuor aſſerunt; Antichriſti Aduentum, Tempus, Perſonam, Notas.

I. Aduenisse volunt conſtare ſibi ex Scriptura. 2. Theſſ. 2. *Myſterium iam operatur iniquitatis.* 1. Ioan. 2. *Antichriſtus venit: & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* 1. Ioan. 4. *Hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit; & nunc iam in mundo eſt.*

II. Quando adueniet? Variant. 1. Lutherus *in ſupput. temporum* & alii; poſt annū 600. ſub Phoca. 2. Bullingerus *præfat. in Apoc.* & alii, ſub annum 763. 3. Muſculus *in Locis, Tit. de Eccl.* poſt tempora Bernardi. 4. Alii aliud dant tempus.

III. Quis Papa fuit primus Antichriſtus? Centuriatores *Cent. 6. c. 1.* Chytræus. &c. *Gregorius Magnus, homo peſſimus.*

IV. Papa Rom. eſt Antichriſtus. Quia omnes Notæ Antichriſtianæ, in Scriptura fundatæ, illi conueniunt: Quæ ſunt: 1. Deficere à vera fide. *1. Theſ. 2.* 2. Sedere in templo Dei: *ibid.* 3 Oſtendere ſe tanquam Deum: *ibid.* 4. Extollere ſe ſupra

omnem Deum: *Ibid.* 5. Negare Chriſtum: *1. Ioann. 2.* 6. Falſa edere miracula: *2. Theſ. 2.* 7. Imprimere ſubditis characterem: *Apoc. 13.*

AVTOR. I. Antichriſtus propriè dictus, *homo peccati*, & *Filius perditionis*, nondum venit.

1. QVIA, Cyril. Catecheſi 15. *Veniet, quando impleta fuerint tempora Rom. Imperii.* Sic & S. Patres. Chryſ. in 2. Theſ. 2. *Quando ſublatum fuerit Rom. Imperium.* 1. Sic Scriptura, *Dan. 2.* Statuæ caput, Chaldæorum; pectus, Perſarum; venter Græcorum; Pedes, Romanorum regnum deſignabat. Tibiarum digiti decem, in quibus ſtatua deſinebat, notabat Regnum Rom. in X. Reges fore diuidēdum; eoque euertendum. *Dan. 7.* Idem ſignificāt quatuor beſtiæ. *Apoc. 17.* Beſtia ſepticeps, cum X. Cornibus. 2. Sic Traditio apud *S. Hier. in Dan. 7.* Nec antè veniet Antichriſtus, quàm venerit DISCESSIO, id eſt, vel Apoſtaſia à fide; vel euerſio Rom. Imperii.

2. QVIA Venient prius duo teſtes. 1. *Amicti ſacco:* 2. *Prophetabunt diebus 1260.* 3. *Habebunt poteſtatem claudendi cælum, ne pluat; & conuertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga.* 4. Poſt 1260. dies Antichriſtus occidet illos: 5. Corpora eorum iacebunt inhumata Ieroſolymis triduo cum ſemidie. 6. Poſt hos rediuiui aſcendent in cœlos. 7. Moxè terręmotu pars vrbis tertia corruet, occiſis 7000. hominum. Iſta *Apoc. 11.* At hi duo teſtes nondum venerunt: ergo nec Antichriſtus. Sectarii eos putant eſſe Huſs, & Lutherum, &c. alii myſtica de iis vanè commiſcentur.

II. Papa Rom. non eſt Antichriſtus. 1. Quia Antichriſtus non veniet, niſi euerſo prius Imperio Rom. 2. Quia occidet duos illos Teſtes: hoc nullus Papa fecit. 3. Antichriſtus regnabit ſemiquatuor annis tantum: Dan. 7. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis,* Apoc. 11. *Menſibus XLII.* ſeu *diebus 1260.* 4. Antichriſtus ab Iudæis pro Meſſia recipietur: Ita S. Patres, ex Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine meo, illum recipietis:* 2. Theſſ. 2. *Operationem erroris, vt credant mendacio.* 5. Antichriſtus faciet ignem deſcendere cœlo: *Apoc. 13.* Iſta nulli Papæ conueniunt. Ergo.

DICO AD I. Pugnant Sectarii Scripturis. Nam illa ſi probarent aduenisse Antichriſtum; probarent veniſſe tempore Apoſtolorum, cum ea ſcribebantur: At hoc negant iidem. Deinde Scripturam non intelligunt: nam *Myſterium iam operatur. &c.* loquitur de Nerone, typo Antichriſti. Alia duo ex Ioanne loquuntur de hæreticis tunc ortis, qui erant prodromi Antichriſti; & generatim, non ſpeciatim, dicuntur Antichriſti. Ita *S. Auguſt.* aliique Patres.

AD II. & III. Sectariorum diſſidium eſt eorum falſitatis indicium; & veritatis noſtræ præſidium.

AD IV. 1. Econtrà, Sectarii deſciuerunt à fide; quia negant purgatorium, Miſſam. &c. quæ affirmant Scripturæ & S. Patres. &c.

AD 2. Ergo Papa ſedet in Templo Dei, ſeu, Eccleſia; foris, Sectarii. Sed S. Patres per Templum intelligunt illud Ieroſolymitanum; non Eccleſiam; iuxta *Dan. 7. v. 27.*

AD 3. Papa oſtendit ſe pro Viſibili Capi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Capite, non *tanquam Deum.*

AD 4. Præſidere Eccleſiæ toti, non eſt extollere ſe ſupra Deum.

AD 5. Corrumpere doctrinam de Mediatore, eſt negare Chriſtum: at corrumpant eam Sectarii, non Papa.

AD 6 Miracula facit Deus; non Papa, non homo.

AD 7. At Sectarii diſſentiunt in hoc, quid ſit charecter.

Bullinger vult eſſe Chriſma: Bibliander, profeſſionem Fidei Rom: Chytræus, eſſe iuramentum Papæ factum, vnctionem Sacerdotum, ſtatuarum venerationem.

AT Character eſſe debet 1. Communis omnibus; 2. Poſſe imprimi in quocunque membro: 3. Vt nemo poſſit negotiari non habens eum; hæc verò iſtis non conueniunt.

Cùm igitur Papæ non cōueniant dictę 7. Notæ: Cùm etiam Eccleſia toto orbe diſperſa errare non poſſit; & hæc Papam neget eſſe Antichriſtum: ergò nec is eſſe poteſt. E contra: Omnes hæretici ſunt præcurſores Antichriſti; Luthero-caluiniſtæ ſunt hæretici: ergo.

IV. DE CONCILIIS.

QVÆSTIO XXVI.

Cuius ſit indicere Concilia, & cur? Papæ, an Imperatoris?

LVTHERVS lib. de Concil. *Ideo vocantur Concilia Generalia, quia ab Vniuerſali omnium Domino Imperatore cogebantur.* Molinæus infert: Idcirco, Conc. Trid. non eſt recipiendum, quia à Papa, non Imperatore, indictum fuit. Sic & Liber Proteſtātium, cur non comparuerint in Concilio. Sic quoque

CALVINVS *Inſtit. l. 4. cap. 7.* Illyricus *Cent. 4. c. 7.* Brentius. &c. ex atauo ſuo Nilo, *lib. de Primatu Eccl.*

Quia, prima Conc. Generalia ſic indicta ſunt ab imperatoribus. Id quod inductio docet. 1. Nilus quia Leo I. epiſt. 42. ſupplicat Theodoſio, vt iubeat intra Italiam prouinciale conuocari Concilium.

2. MAGDEBVRGENSES; quia Liberius conceſſit, eſſe in poteſtate Imper. conuocare Concilia.

3. Molinæus, Quia S. Hier. ait: *Dic, quis Imperator iuſſerit hanc Synodum conuocari?*

4. Quia ſimul cœperunt & eſſe Imperatores Chriſtiani, & cogi Concilia poſt annum 300.

AVTOR. Solius eſt Papæ Roman. Generalem indicere Synodum. I. Quia Concilia non ſunt legitima, niſi *in Nomine Chriſti* congregata: vt aſſentit Caluinus *Inſt 4. c. 9 §. 1. & 2.* Atqui *in Nomine Chriſti* congregari, eſt *Authoritate Chriſti* congregari. Patet ſimilibus è locis: Vt Matth. vlt. *In nomine meo dæmonia eiicient.* Ioann 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Matth 7. *Nonne in nomine tuo Prophetauimus?* Apertiſſimè Act 4. *In qua virtute, aut in quo Nomine hoc feciſtis?*

DICIT CALVINVS. *In nomine Chriſti* congregari eſſe congregari ſic, vt præſideat Chriſtus ſolus.

AT 1. Hoc nuſquam in Scripturis eſt. 2. Nemo id diſcernere poteſt, an Chriſtus præſideat; nam omnes pſeudoſynodi affirmant è S. Scriptura ſe promere omnia, ex ſeſe nihil. 3 Chriſtus viſibilem ſui præſentiam ablaturus Eccleſiæ, Petro non Tiberio dixit: *Paſce oues meas*: ac Præſideas quoque: *Et tu confirma Fratres tuos.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN